

fundamentum suæ religionis, seu modi vendi; et hujusmodi fuerunt tres illæ antiquiores regulæ Basilii, Augustini et Benedicti, quæ si attente inspiciantur, adeo breves sunt, ut non contineant omnia quæ in communitate religiosa necessaria vel utilia esse possunt, sed tantum præcipua et substantialia, et præsertim regula Basilii, quam nunc ex ejus operibus colligere possumus, vel ex regulis brevius aut fusius disputatis, vel ex constitutionibus monasticis, vel ex epistola ejus ad Gregorium Theologum, quæ incipit: *Agnovi litteras tuas*, quæ est de forma honestæ vitæ; ex his (inquam) locis solum colliguntur generalia quædam consilia ad viam perfectionis instituendam, non vero omnia quæ ad plenam institutionem monasterii, vel totius reipublicæ religiosæ necessaria sunt; et idem fere observari potest in aliis duabus. Unde ortum est ut semper illis regulis additæ sint aliquæ constitutiones, vel nova statuta, quæ temporum necessitas ostendit esse necessaria. Item, factum est ut intra latitudinem status religiosi ad diversos fines sit unaquæque ex illis regulis applicata, vel ad eundem sub diversis cæremoniis et observantiis, juxta diversas vocationes, aut pios affectus quos Deus fundatoribus, aut potius reformatoribus, vel moderatoribus aliquarum religionum inspiravit. Atque hoc modo dicuntur variæ religiones sub una vel altera illarum regularum militare, quia illam regulam quasi pro fundamento sumpserunt, et proprias observantias addiderunt, de illis etiam proprias ordinationes faciendo, quas, ut ab illa primaria regula distinguerent, constitutiones vel statuta appellarunt. D. autem Franciscus nullam illarum regularum pro fundamento suæ religionis sumpsit, sed propriam confecit, ejusque peculiarem approbationem obtinuit, et ideo quarto loco inter approbatas nominatur, sub qua militant etiam variæ religiones, vel potius familiæ Minorum, præsertim tres, Observantiæ, Conventualitatis, et Capuccinorum, quæ sub distinctis Generalibus proprias eliam habent constitutiones, seu statuta a propria regula S. Francisci distincta.

5. *Primum corollarium, quo respondetur tertie parti tituli.*— Ex his ergo satis constat quomodo differat constitutio a regula in his religionibus ubi hæc distinguuntur; non enim per se differunt ex obligatione quam inducunt; utraque enim esse potest, vel ad culpam mortalem aut venialem, vel ad solam poenam, juxta intentionem instituentium aut ac-

ceptantium talem regulam, vel constitutiones; et secundum utramque debent Prælati uniuscujusque religionis subditos gubernare, et potest eis impuare ex vi obedientiæ, ut probatum est. Differentia vero solum videtur accidentaria in origine, et in hoc quod regula est quasi generalis et communis, constitutiones autem speciales et propriæ. Aliqui existimant etiam differre aliquo modo in majori perpetuitate, proveniente ex specialiori Pontificis approbatione seu confirmatione; nam regula non potest sine Pontificis auctoritate mutari, quia est jure communi, vel a Pontifice specialiter confirmata; constitutiones autem sicut per religionem factæ sunt, ita per eam mutari possunt; ita D. Anton., tertia part., tit. 16, cap. 1, § 4, ex Joan. Andrea, in Novellis. De qua differentia mihi satis non constat, et ideo consulenda censeo singula instituta, et quo sensu et modo unaquæque talem regulam sumpserit ac profiteatur; nam de tribus antiquioribus regulis non habemus ita expressam Pontificum aut juris communis approbationem. Nam Innocentius II, in dict. cap. *Perniciosam*, obiter tantum illarum mentionem facit, et supponit potius antiquam approbationem, quæ scripta non habetur, sed potius traditione et usu facta videtur, quamvis de regula S. Benedicti legitur specialis S. Gregorii approbatio in hæc verba: *Ego Gregorius, S. R. E. Presul scripsi vitam B. Benedicti, et legi regulam, quam ipse Sanctus manu propria scripsit; laudavi eam, et confirmavi in sancta Synodo*; ita refertur ad finem illius regulæ post commentarios Turrecrematæ, in quodam antiquo volumine de cujus auctoritate mihi satis non constat. Deinde non constat illas regulas ita esse confirmatas a Pontificibus, ut non possint a religionibus, quæ illas profitentur, communi consensu et auctoritate mutari. Loquimur autem de mutatione quoad aliquas particulares partes regulæ, nam mutare totam, jam esset mutare religionem, et substantiam ejus, quod religio facere non potest, alias destrueret seipsam. Hoc tamen modo, etiam non potest talis religio auctoritate sua mutare omnes constitutiones simul sumptas, quibus quasi constituitur in esse talis religionis; quia hoc esset destruere suam specialem professionem; non videtur ergo esse in hoc magna differentia. Præsertim quia etiam constitutiones approbatarum religionum solent esse a Sede Apostolica confirmatæ, et nihilominus ab eadem Sede habet religio potestatem ad mutationem

aliquam faciendam; idem ergo potest contingere circa regulam. Consulendæ ergo sunt facultates Apostolicæ, quas in hoc unaquæque religio habet. Specialiter vero ex regula S. Benedicti, et S. Francisci, quædam sunt in jure canonico insertæ, ut patet ex cap. *Cum ad monasterium*, de Statu monach., et ex cap. *Exiit*, de Verborum signif., in 6, et Clement. *Exiit*, eod. tit., et in his verum esse opinor non posse fieri abrogationem seu derogationem, Summo Pontifice inconsulto.

6. *Secundum corollarium. — Verificatur plane de Carthusianis, et Societate, et aliis.*— Secundo, sequitur ex dictis, multas esse religiones approbatas quæ non habent regulam in eo sensu sumptam, id est, a constitutionibus distinctam, aut ex aliquo antiquo Patriarcha religionum sumptam, non tamen propterea carent regula propriissime dicta; vere enim ac proprie regulares sunt; habent ergo suas constitutiones pro regula: ita sentiunt de Carthusianis Antonin., Sylvest. et alii, qui putant usque ad sua tempora nullam aliam religionem approbatam fuisse, quæ aliquam ex prædictis regulis non profiteretur. Et sane Innocentius II, in dict. cap. *Perniciosam*, satis significat usque ad sua tempora omnes veros religiosos sub aliqua trium antiquarum regularum militasse; sic enim ait de quibusdam mulieribus: *Quæ, licet neque secundum regulam B. Benedicti, neque Basilii aut Augustini vivant, sanctimoniales tamen vulgo censerentur desiderant*; quasi tacite supponendo illas feminas non potuisse, nisi sub aliqua ex his regulis, veram religionem profiteri. Nihilominus tamen Carmelitæ ante Innocentium II vere religiosi erant, et tacitam saltem approbationem habebant, ut colligitur ex cap. *Unico*, § *Sane*, de Relig. domib., in 6, et infra latius dicemus; et tamen ipsimet dicunt se nullam ex dictis regulis profiteri, sed propriam; non ergo religiones omnes approbatæ vivebant sub aliqua illarum. Antonin. autem, et alii ad hoc respondent, Carmelitarum regulam a Basilio duxisse originem, et ita sub illa comprehendi; quod licet aliquibus non placeat, mihi videtur necessarium, propter textum citatum Innocentii II. Usque ad tempora ergo Honorii III, facile concedemus nullam fuisse religionem approbatam, quæ suas constitutiones quasi propria regula habuerit, præter Carthusianos, de quibus dicit Antonin. supra, quod habent sua statuta pro regula, et habetur in magna veneratione in Ecclesia. Post Hono-

rium vero Societas in hoc imitata est Carthusianos, nullam enim ex antiquioribus regulis profitetur, sed Constitutiones, quas a suo fundatore S. Ignatio accepit, habet pro regula a Sede Apostolica approbata, ut infra videbimus. Ordo etiam Minimorum dicitur habere propriam regulam, a suo institutore S. Francisco de Paula editam, et a Sixto IV et Alexandro VI approbatam.

7. *Tertium corollarium.*— Tertio sequitur, nunc plures esse in Ecclesia quam quatuor regulas approbatas. Nam, præterquam quod religio Carmelitarum suam propriam regulam approbatam habere contendit, Carthusienses, et Minimi, et Societas, et fortasse alii habent suas, quia nec esse possunt sine regula, ut dixi, nec potest religio esse approbata sine sua regula; hæc autem religiones approbatæ sunt, ut supponimus, et non profitentur supradictas regulas; ergo unaquæque habet suam approbatam. Neque enim in illis prioribus quatuor major aut diversæ rationis approbatio cogitanda erit; nullo enim fundamento hoc dici potest, cum, eadem auctoritate Pontificia, et eisdem verbis etiam hæc posteriores regulæ approbatæ et confirmatæ sint; de quo videbimus plura in particulari infra tractando de approbatione Societatis. Non omitam etiam advertere, in nono tomo operum B. Hieronymi haberi regulam monachorum ex scriptis D. Hieronymi a Lupo de Oliveto, Generali ejusdem Ordinis, collectam, ibidemque refert litteras Apostolicas Martini V, quibus eam approbavit, ut monachi illius ordinis, qui prius secundum regulam B. Augustini profitebantur, sub propria regula, D. Hieronymi nuncupata, deinceps profiterentur. Extat etiam regula S. Pachonii, quem ab Angelo dictante accepisse Hieronymus refert, et sub ea multos Ægypti monachos vixisse.

CAPUT II.

QUAM OBLIGATIONEM INDUCAT REGULA RELIGIOSA, ET QUOMODO COGNOSCATUR QUANTA SIT TALIS OBLIGATIO.

1. *Duplex modus condendi regulam cum jurisdictione, aut sine illa.*— Supponimus hanc regulam habere aliquam vim et rationem legis, ut constat ex usu, et sensu omnium religionum, et patebit magis ex dicendis. Ad quod explicandum adverto, statum religionis, ut sæpe dixi, dupliciter posse considerari, vel seclusa jurisdictione ecclesiastica a Pontifici-

bus collata Prælati, vel toti communitati religiosæ; vel adiuncta huiusmodi jurisdictione. Et utroque modo intelligi potest in eò esse regulam; imo in principio religionum videntur regulæ hoc modo institutæ, et prius potius per modum instructionis et doctrinæ, quam per modum legis, ut videre licet in multis ex constitutionibus, seu regulis S. Basilli; postea per modum cujusdam statuti conventionalis, quod non est proprie lex, sed habet vim in mutua promissione et pacto; addita vero jurisdictione per Ecclesiam, confirmatur religiosa regula (sub qua semper constitutiones et statuta comprehendimus), ut habeat veram et propriam rationem legis. Est autem præterea advertendum nonnullas esse leges datas regularibus, vel omnibus, vel certis religionibus, immediate ab ipsis Pontificibus Summis, quarum aliquæ continentur in jure canonico sub titulis de Regular., et de Statu monach., de Religiosis domibus, et nonnulla sub titulis de Voto, de Sentent. excomm., et aliis; aliquæ vero sunt extra corpus juris in Bullario, seu collectione Constitutionum Pontificalium, et aliis Motibus propriis, qui extra illud opus vagantur; de quibus legibus in hoc capite non agimus, tum quia non pertinent ad regulam, sed potius ad jus canonicum, quod interdum præcipit laicis, interdum clericis, interdum secularibus, interdum vero regularibus. Tum etiam quia non est dubium quin illæ obligent in conscientia; modus autem et gradus obligationis ex verbis et materia sumendus est, atque etiam ex pœna, præsertim quando habent censuram annexam: et quæ istam ipso jure imponunt, explicatæ a nobis sunt in tom. 5 de Censuris. Præter has ergo leges regula ipsa religiosa per Pontificem confirmatur, ut vim habeat legis non tantum conventionalis, sed etiam jurisdictionalis (ut sic dicam); et similiter statuta vel constitutiones, quatenus a religione fiunt per potestatem a Pontifice acceptam, veram rationem legis habent.

2. *Regula religiosa plus obligat quam consilium.*—Ex his sequitur, regulam religiosam necessitatem aliquam operandi imponere; hoc enim est de ratione legis, et per hoc differt a puro consilio, ut ex propria materia, lib. 5 de Legib., cap. 4, suppono. Regula autem religiosa non est merum consilium, quia præter illam sunt multa alia, quæ ex consilio possunt religiosi facere; nam, ut recte dixit S. Benedictus, in cap. ultimo suæ regulæ, non tota perfectio in sola regula est; et nihilominus religiosus omittens alia consilia supra suam re-

gulam, non censetur deesse suo muneri et statui; si autem suam regulam prætermittat, deficere censetur a sua obligatione; ergo talis regula respectu illius plus est quam consilium; ergo aliquam necessitatem imponit. Et confirmatur ex dictis, quia talis regula ex jurisdictione procedit; ergo ab illa habet vim et dirigendi et cogendi, quæ est moralis necessitas. Hæc autem duplex solet esse in legibus: una sub obligatione ad culpam; alia sub reatu pœnæ, quas nos directivam et coactivam appellamus, licet aliqui soleant utramque sub coactione comprehendere. Si ergo loquamur de possibili, utraque locum habere potest in regula religiosa, quia jurisdictio Prælatorum perfecta est, et ad utrumque actum dirigendi et cogendi se extendit, ut tomo superiori ostensum est. Imo, seclusa jurisdictione, in statuto conventionali posset intelligi utraque necessitas, conscientia in virtute pacti et promissionis, si per statutum fides data exigatur; pœna autem ex eodem capite, quamvis coactio et exactio non possit esse tam rigorosa, seclusa jurisdictione, ut supra etiam declaratum est.

3. *Potestque primo obligare ad mortale in materia gravi.—Potest secundo ad veniale solum obligare.*—Potest autem primo lex, præsertim ecclesiastica, interdum obligare ad culpam mortalem; quam efficaciam posse etiam habere regulam religiosam dubium non est, si cum potestate, quæ non deest, concurrat instituentium voluntas, et materia regulæ gravis sit, et capax tantæ obligationis. Deinde secundo potest interdum regula obligare ad solam venialem culpam; quod etiam in re est clarum, quando materia non est capax majoris obligationis, quamvis de nomine sit quæstio an talis regula mereatur nomen præcepti vel legis. Qui enim putant peccatum veniale non esse contra legem vel præceptum, consequenter dicent talem regulam quoad hanc partem non esse legem vel præceptum, sed simplicem ordinationem. Imo Scotus, in 2, distinct. 21, quæst. 1, vult comprehendendi sub consiliis; tamen (ut dixi) quæstio est de nomine, et simpliciter loquendo melius appellatur præceptum, licet ratione materiæ diminutam obligationem inducat, et in ordine ad charitatem conservandam non sit præceptum simpliciter necessarium, de quo videri potest Cajetanus 2. 2, quæst. 186, art. 9, et Opusc. 25, tract. 1; Vega, lib. 14 in Tridentini, cap. 13; Navar., in cap. *Negotium*, de Pœnit., distinct. 5, num. 7.

4. *An de materia gravi possit ferri præceptum leve.—Vera resolutio probatur ratione et auctoritate.*—Difficilius autem dubium est, si materia præcepti sit capax obligationis sub mortali, an sit in potestate instituentis regulam non imponere tantam obligationem, imponere tamen aliquam in conscientia, ita ut illa transgressio ex vi regulæ sit peccatum veniale. Aliqui enim, in quibus sunt Bellarminus, lib. 3 de Laicis, cap. 11, ad fin.; Médin., 1. 2, quæst. 96, art. 4; Vasquez, 1. 2, disput. 158, cap. 4, putant non esse hoc in potestate legislatoris, quia vel præcipit, vel non (inter hæc enim non potest dari medium); si autem præcipit, præceptum natura sua infert obligationem proportionatam materiæ, nam hoc ex natura rei sequitur, nec potest per voluntatem hominis impediri. Cæterum, verius existimo circa eandem materiam posse imponi regulam obligantem ad mortale, et nihilominus posse auctorem regulæ moderari postea intentionem suam, et obligare tantum ad veniale. Hoc probavi in tractatu de Legibus, lib. 3, cap. 27; sequuntur Sanchez, lib. 1 de Matrim., disput. 9, num. 6; Valentia, tom. 2, disput. 7, quæst. 5, punct. 6; quæst. 2 et 3, et alii, quos citato loco allegavi. Nam tota obligatio positivi præcepti pendet ex voluntate ferentis, et nulla est mere necessaria, etiam supposita voluntate præcipiente; quia in hæmet voluntate, et in ipso præcepto potest intelligi latitudo, ut sentire videntur qui mandatum a præcepto distinguunt, non solum in materia, sed etiam in modo jubendi, ut videre licet in Sylvest., verb. *Lex*, quæst. 8, et verb. *Præceptum*, quæst. secunda; Navar., in Summ., cap. 23, numero quadragesimo octavo et sequente referente D. Thom. in Quodlib. 1, quæst. 9, articulo vigesimo, ubi multum favet huic sententiæ, ut statim videbimus. Eam etiam supponunt omnes auctores, qui dicunt leges humanas non obligare ad mortale etiam in materia gravi, sed tantum ad veniale, quando verba plus non indicant, ut late refert Gutier, lib. 1, cap. septimo, numero vigesimo; Henric., lib. 11, cap. decimo tertio, numero 2, in fine; Gerson, in tract. de Vita spirituali animæ, lect. 5, alfab. 63, lit. G, et seq., ubi ita videtur interpretari difficilem opinionem, quam habuerat in eodem tractatu, lect. 1, peccatum veniale solum differre a mortali ex misericordia Dei, non ex natura rei; esset enim minus probabilis illa sententia, si intelligatur de misericordia Dei, non quidem

dissimulante aut non puniente malitiam talis peccati, ut gravem, quamvis revera talis sit; hic enim sensus omnino cavendus est; sed de misericordia non præcipiendi vel prohibendi tales actus cum toto illo rigore quo posset, ex quo fit ut de facto, et reipsa tantam non habeat malitiam; quo sensu non est ita improbabilis illa sententia, licet vera non sit in legibus divinis, quia, si positivæ sint, nobis non constat per specialem revelationem de tali moderatione voluntatis Dei, nisi quatenus materia ipsa eam postulat; si vero sint naturales, obligant per modum naturæ, ac proinde quantum possunt, juxta materiæ capacitatem. In humanis autem præceptis, quamvis non sit universalis, quia interdum non potest legislator humanus obligare ad mortale, etiamsi velit, propter incapacitatem materiæ, e contrario tamen potest legislator humanus nolle obligare quantum potest in aliqua materia, et hanc voluntatem suam satis explicare. Et hanc differentiam inter præceptum hominis et Dei indicavit aperte D. Thomas 2. 2, quæst. 105, art. 2, ubi propterea dicit, inobedientiam contra Deum esse majorem, quo majus est bonum omissum vel malum commissum; quia intentio Dei accommodatur materiæ, ut sic dicam; inobedientiam vero hominis non semper esse majorem, licet sit contra majus bonum, quia aliud minus bonum potest esse magis de intentione præcipientis. Vult ergo peccatum contra legem humanam in graviori materia posse esse levius ex intentione præcipientis; ergo eadem ratione poterit esse leve peccatum, etiamsi materia sit gravis, ex intentione præcipientis, ab illo enim totum hoc negotium pendet. Potest ergo in materia gravi legem, vel simplicem ordinationem imponere, quæ obliget in conscientia, solum tamen ad venialem culpam. Atque hoc indicare voluit Martinus V, in approbatione regulæ monachorum S. Hieronymi, ubi in fine declarat transgressores illius non propterea mortalis peccati vinculo ligari, non quia materia sit incapax illius obligationis, sed quia illam imponere non vult; sic enim ait, *Volumus*, etc.; non excludit autem minorem obligationem in conscientia, tum quia non sine causa dixit non ligari ad mortalem culpam; tum etiam quia subdit, ut pro modo culpæ pro huiusmodi transgressionibus puniantur. Et ideo etiam in nostra Societate declaratum est, regulas non obligare ad peccatum mortale, vel veniale, 6 part. Constit., cap. 5, quia poterant ad unum vel alterum